



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIV. Soluitur argumentum secundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

aut Apollinem, &c. vt obseruarunt Origenes lib. 6. contra Celsum paulò antè medium. Eusebius lib. 4. præpar. c. 6. Lactant. li. 2. c. 16. & Sulpitius in vita B. Martini. hoc idem Scriptura testatur, cum Deut. 32. dicit: *Immolauerunt demoniis, et non Deo.* Et Psal. 95. *Dij Gentium demonia, &c.* Et I. Cor. 10. *Qua immolant Gentes, demonibus immolant, & non Deo.*

Alij nec simulacrū, nec homines mortuos, nec dæmones in idolis colere se dicebant, sed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant Solem, in idolo Neptuni mare, in idolo Iouis ætherem, &c. vt referunt Eusebius lib. 3. præpar. cap. 2. & Augustinus in Psal. 113. & lib. 4. ciuit. Dei, cap. 10. & lib. 7. ciuit. Dei, cap. 5. & sequentibus.

Alij deniq; nec ipsas corporeas mundi partes in idolis colere se dicebant, sed animas earum partium, id est, Solis, Lunæ, Terræ, &c. vt referunt Eusebius lib. 3. ca. 3. præpar. & Augustinus loco citato. Sed omnes isti, vt patet, creaturas pro creatore coluerunt: nisi quis ita desipiat, vt homines mortuos, dæmones, elementa, stellas, creaturas esse neget. Id igitur Scriptura in Ethnicis reprehendit, quòd adorauerint creaturam pro creatore: quod sanè Catholici nec faciunt, nec fecerunt vnquam, cum imagines nec Deos putent, nec imagines Deorum.

CAPVT XIV.

*Soluitur argumentum secundum.*

**A**D SECUNDVM argumentum ex Conciliis. Dico imprimis Concilia duo Constantinopolitana fuisse illegitima. Quod patet PRIMÒ, quia non adfuit Romanus Pontifex nec per se, nec per legatos, vt ex Zonara, Cedreno, Paulo Diacono, & ex Synodo Nicæna II. actio. 6. patet. Porro regula est Ecclesiastica Concilij I. Nicæni, sine sententia Romani Pontificis, non licere Concilia generalia celebrari, vt præter alios refert Socrates lib. 2. cap. 13. SECUNDO, quia non consenserunt vlli Patriarche nec per se, nec per legatos, vt ex iisdem auctoribus patet. TERTIO, quia omnes auctores, qui de Conciliis generalibus scribunt; vt Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Nicetas, Paulus Diaconus, Rhegino, Ado Sigebertus,

tus, Abbas Vrspergensis, & alij, ista Concilia Constantinopolitana vel non numerant inter Concilia Ecclesiæ, vel aperte reprehendunt.

Dico SECUNDO, etiam si legitima fuissent, tamen eis derogatum esse per Concilium plenarium & verè generale, id est, secundum Nicænum.

Est autem hîc notandum, Concilium istud Constantinopolitanum falsè vocari Ephesinum III. à multis recentioribus, ut ab eo, qui edidit Concilia in quadâ admonitione missa VII. Synodo, & ab auctore summæ Conciliorû in principio VII. Synodi, à Sixto Senensi lib. 5. Bibliothecæ sanctæ, annot. 247. & ab aliis. Causa erroris fuit, quia Concilio illi profano præsedit Theodosius Episcopus Ephesinus. Nam quod verè non Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, & ex ipso Concilio, quod insertum habetur actioni 6. Nicæni Concilij.

Notandum SECUNDO, Calvinû, & Magdeburgenses imprudenter laudare Concilium Constantinopolitanum prædictum; nam illud Concilium etiam si de imaginibus impiè sensit, tamen de cultu & inuocatione Sanctorum, & de meritis operum rectè sensit, & anathema dixit iis, qui id docent quod nunc Calvinus & Magdeburgenses docent. Nam can. 15. anathematizat eos, qui non inuocant B. Mariam. can. 17. eos, qui non colunt, & nō inuocant Sanctos ceteros. can. 18. eos, qui non credunt Deum redditurum vitam æternam pro meritis operum secundum iustam iudicij sui libram. Habentur autem hi canones inserti in Concilio Nicæno II. act. 6. & eosdem fideliter recitant Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. ex quo sanè perspicitur eorû incredibilis vel stupiditas, vel impudentia, qui id laudant, à quo anathematizantur.

De Concilio autem FRANCOFORDIENSI, quo præcipuè nituntur aduersarij, dico tria. PRIMO, quidquid illud Concilium definiert, non esse magni faciendum; nam sine dubio illi anteponendum est Concilium Nicænum II. quod certum est fuisse vniuersalius, antiquius, & sine controuersia à summo Pontifice approbatum; nam constat ex ipso Concilio adfuisse legatos Papæ Adriani, & rursus approbatû à Leone III. patet ex Luone 4. parte, cap. 147.

Dico SECUNDO, si verum est quod dicunt Centuriatores

Cent. 8.

Cent. 8. cap. 9. col. 639. nihil nobis eam Synodum obesse; nam ipsi dicunt, Synodo Francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Adrianum, & legatos eius. At certum est Synodum, cui repugnat Romanus Pontifex, nullius esse auctoritatis, ut patet tum ex Gelasio in tomo de vinculo anathematis, tum experientia. Nulla enim Synodus vnquam habita est legitima, cui Romanus Pontifex repugnauerit.

Quid, quod ipsa Synodus Francofordiensi hoc ipsum docet? nam (ut ex Carolinis libris patet) Synodus Francofordiensi decreuit, iudicium vltimum controuerfiatum ad Romanum Pontificem pertinere, & hoc præcipuo argumento refellit Synodum VII. quia existimauit sine auctoritate Romani Pontificis celebratam: Ergo Synodus Francofordiensi, testimonio Magdeburgensium, seipsam destruit.

Præterea ibidem Magdeburgenses dicunt, Synodum Nicænam ab Adriano confirmatam; Concilium autem Francofordiense reprobatur Synodum factam sine Papæ auctoritate; ergo iudicio Magdeburgensium non est Nicæna nostra, sed aliqua alia, quæ reprobatur in Concilio Francofordiensi. DENIQUE ibidem docent Magdeburgenses, in Synodo Francofordiensi non esse definitum, ut imagines tollantur è templis, sed ut in templis quidem mancant, at non adorentur. Cur ergo ipsi è templis imagines tollunt? cur frangunt? cur non seruant Francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mendacium Apologiæ Anglorum, quæ docet, in Concilio Francofordiensi decretum, ut imagines delerentur. At è contrario Synodus Francofordiensi testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, & ipsorum Magdeburgensium, anathema dixit iis qui imagines delere volunt. PRÆTEREA res ipsa idem ostendit; nam si ea Synodus id statuisset, cur non esset factum? Quis enim resisteret in Occidentali Ecclesia decreto Episcoporum omnium, & Regis potentissimi? Non esse autem factum, certo certius est: nulli enim historici id referunt. Immo Ionas Aurelianensis tanquam rem nouam, & sacrilegam refert, quod Claudius Taurinensis in sua diœcesi imagines delere voluerit.

TERTIO dico, rem esse incertissimam, quid statutum sit de imaginibus in Synodo Francofordiensi. Nam antiqui auctores non sibi constant; nam in primis ipsum decretum Franco-

PPPP

fordien-

fordiense, quod citatur in præfatione librorum Carolinorum, restatur in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ Constantinopoli conuenerat, & imagines adorari iussit. Vbi cum nominat Constantinopolim, videtur loqui de Synodo hæreticorum contra imagines: at cum dicit, ibi decretum, vt imagines adorentur, videtur loqui de Synodo Catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ facta fuerat Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate Papæ pro imaginibus adorandis. Vbi cum nominat Constantinopolim, & dicit à Synodo abfuisse Papæ auctoritatem, videtur loqui de Synodo hæreticorum: Cum autem dicit, in Bithynia, & pro imaginibus Synodum illam celebratam, videtur loqui de nostra Nicæna. Nam Nicæa est metropolis Bithyniæ, Constantinopolis autem in Thracia est.

Iam verò Hincmarus Remensis, cap. 20. lib. contra Hincmarum Laudunensem, qui ipso ferè tempore floruerat, dicit, in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum, quæ Nicææ conuenerat sine Papæ auctoritate. Vbi etiam duo contraria coniungit, vt patet. Aimoinus lib. 4. cap. 85. de gestis Francorum, & Abbas Urspergensis in Chronico anni DCC. XCIII. scribunt in Synodo Francofordiensi damnatam VII. Synodum Græcorum, quæ conuenerat Constantinopoli sub Constantino & Irene. vbi etiam ipsi contraria iungunt inter se.

Multi autem historici recentiores dicunt in Synodo Francofordiensi damnatam Synodum de tollendis imaginibus quam Græci VII. generalem dicebant. ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis secundæ lib. 1. Sabellicus lib. 8. Eneadis 8. Paulus Æmilius lib. 2. de gestis Francorum. Propter hanc confusionem Alanus Copus Dialogo 4. & 5. docet, in Synodo Francofordiensi solùm damnatam Synodum Constantinopolitanam hæreticam: Nicænam autem non solùm non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarem esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.

PRIMO, quia libri illi Carolini, licet falsò inscribantur Carolo, vt dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, vt patet ex refutatione eorundem librorum, quem edidit Adrianus I. & scripti videntur in Concilio Francofordiensi

diensi, & acta continere Synodi Francofordiensis. id enim asserit Hincmarus eius temporis auctor, & ipsi libri hoc præ se ferunt: quod autem Synodus, quæ in his libris refutatur, sit verè Nicæna II. dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

SECVNDO, quia auctores antiqui omnes conueniunt in hoc, quod in Concilio Francofordiensi sit reprobata Synodus VII. quæ decreuerat imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimoinus, Rhéginus, Ado, & alij passim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, vt Copus dicit, videretur mihi paulò durius.

TERTIO, quia si isti auctores loquerentur de falsa VII. Synodo, id est, de Synodo Constantinopolitana contra imagines, certè meminissent etiam in suis historiis Synodi Nicænae verè septimæ. At non meminerunt vllius Concilij VII. nisi istius, quod reprobatum dicunt.

Neque obstat, quod libri Carolini, & Abbas Urspergensis, & Aimoinus dicunt reprobatam Synodum Constantinopoli habitam; nam Abbas sequutus est libros Carolinos, vt etiam Aimoinus: auctor autem eorum librorum vel lapsu memoria, vel ex imperitia posuit Constantinopolim pro Nicæa, nam alioqui cum dicat Synodum celebratam in prouincia Bithyniæ, vbi Nicæa est non Constantinopolis, satis indicat, se de Nicæa loqui. Et similiter Abbas, & Aimoinus cum dicant, Synodum celebratam sub Constantino & Irene, clarè demonstrant, se loqui de Nicæna Synodo, etiamsi per errorem nominent Constantinopolim.

Neque etiam obstat, quod Hincmarus, & libri Carolini dicant, Synodum reprobatam in Concilio Francofordiensi fuisse coactam sine auctoritate Papæ, quod est falsum de Nicæna, & verum de Constantinopolitana: Nam Hincmarus sequutus est libros Carolinos, vt ipse indicat. Auctor autem eorum librorum hoc mendacium finxit cum aliis multis, vt imponeret Synodo Francofordiensi, vt mox dicemus.

Neque obstat vltimo quod Platina, Blondus, Sabellicus & Paulus Æmilius dicant, reprobatam Synodum de tollendis imaginibus; nam in primis isti omnes recentiores sunt. Deinde quod ipsi dicunt, non pugnat cum antiquorum historicorū dictis; nam in Synodo Francofordiensi duæ Synodi repro-

bata fuerunt, nimirum Constantinopolitana contra imagines, & Nicæna pro imaginibus, ut patet ex libris Carolinis, & ex Hincmaro. Et fortasse hæc est causa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Nicæam, aliqui Constantinopolim, cum dicunt Synodum Græcorum reprobata in Concilio Francofordiensi. Videtur igitur mihi, in Synodo Francofordiensi verè reprobata Nicænam II. Synodum, sed per errorem, & materialiter, eo modo prorsus quo olim Synodus Ariminensis damnauit homousion. Nam auctor librorum Carolinorum imposuit Synodo, duoque mendacia illi obtrusit: Vnum mendacium fuit, in Synodo Nicæna definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriæ: Alterum, decretum illud factum a Græcis sine consensu Papæ Romani.

His duobus mendaciis pro veritate habitis, Synodus Francofordiensis reprobauit, & meritò, Nicænam Synodum tanquam profanam & illegitimam. Quòd illa duo fuerint persuasa Concilio patet ex ipsis libris Carolinis; nam in præfatione disertè habetur hoc modo: *Allata est in medium, scilicet in Synodo Francofordiæ) questio de noua Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita sicut Deificæ Trinitati seruitium, aut adorationem non impenderent, anathema iudicaretur, qui supra, sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, & seruitutem eis impendere reuocantes contempserunt, atque consentientes condemnarunt.* Hæc ibi. In ipso etiam opere introducit Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in Concilio Nicæno anathema dicens iis, qui non adorant imagines eo cultu, quo adoratur sanctissima Trinitas. En clarè primùm mendacium. Iste auctor clarè docet, ad summum Pontificem pertinere iudicium controuersiarum fidei, & idè Synodum illam pro adorandis imaginibus nihil valere, quod Pontificis auctoritate caret.

Præterea auctores illi antiqui, qui dicunt reprobata esse falsam Synodum, quæ decreuerat imagines esse adorandas sine dubio per illud, *adorandas*, intelligunt adorandas cultu latriæ; nam ipsi quoque docent imagines esse venerandas, & tamen execrantur illam Synodum, quæ iubet imagines adorari. A D O in Chronico anni D C. X C V I. dicit, Romæ in die exaltationis Crucis, à toto populo crucem osculari, & adorari so-

ri solitam. Et in Chronico anni DCC. XVII. vocat imaginem venerandam, quam euerterat Philippicus hæreticus, & restituerat Theodosius Catholicus Imperator. R E G I N O lib. I. Chronici sub finem, agnoscit crucis adorationem, & deturbationem imaginum per Leonem Iconomachum factam scelus appellat. I O A N N E S Auentinus lib. 4. annalium dicit, Carolo Magno Imperatore designato imaginem eius in templo ab omni populo veneratam ipso præsentem. A B B A S Vrspergensis Chronico, inuehitur in Leonem Isaurum, & Constantinum Copronymum propter imaginum deiectionem, eosque vocat impios, & Antichristi præcursores, & è contrario Gregorium Papam laudat, & sanctum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi & Sanctorum, Imperatorem excommunicauit.

Quòd autem verè mendacia sint, quòd Synodus Nicæna caruerit Papæ auctoritate, & quòd decreuerit imagines adorandas cultu latriæ, certissimum est; nam in ipso Concilio Nicæno II. act. 2. recitantur epistolæ Papæ Adriani pro imaginibus, & in omnibus actionibus semper primi subscribunt Legati Romani. Deinde quod ad cultum attinet, in prima actione Basilius Ancyranus, qui antea fuerat hæreticus, cum resipisceret & confessionem Catholicam ederet, toto Concilio audiente, & probante dixit, se imagines quidem colere, non tamen latria, cum ea soli debeat Deo. Similiter Constantinus Episcopus Constantiæ Cypri in VII. Synodo, act. 3. loquutus est. Similiter loquuntur etiam ceteri act. 4. & 7.

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorum tam manifesta mendacia obtruserit Synodo Francofordiensi de Nicæna Synodo paulò antè habita; nam si nunc Magdeburgenses, & Caluinus scribere audent, nos colere imagines diuinis honoribus planè vt Deos, cum tot libri Catholicorum, & ipsum generale Concilium Latinum, & in Germaniæ finibus Tridenti celebratum, disertè clament contrarium: quid mirum si idem confictum sit de Synodo Græca, quam paucissimi legere poterant, & quæ in Oriente celebrata fuerat?

Si dicas, ergo saltem Concilium Francofordiense, quod frequentissimum fuit, & legitimum, errare potuit. R E S P O N D E O, potuit errare & errauit, non in iuris, sed in facti quæstio-



ne. Et præterea non mirum si errare potuit; nam non consensere Legati Romani, ut Magdeburgenses dicunt: Papa autem non solum non consensit, sed etiam refutavit Francofordiense decretum, ut patet ex libri Adriani de imaginibus ad Carolum, ubi refutantur omnia mendacia illorum librorum Carolinorum.

## CAPVT XV.

*Soluitur argumentum tertium.*

**Q**UOD autem ex libris Caroli adferunt, in quibus præcipuum firmamentum causæ suæ constitutum est. Dico eos libros neque esse Caroli, neque eiusmodi, quibus vlla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur PRIMO, quia exstat liber Adriani Papæ I. ad Carolum, in quo libri isti accuratè refelluntur, ex quo Adriani libro perspicuè intelligitur libros istos ab aliquo hæretico compositos, & à Carolo ad Pontificem missos, ut eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in tertio tomo Conciliorum, cum aliudè, tum etiam ex Iuone intelligi potest; qui multa ex hoc libro nomine Adriani in 4. partem sui decreti transtulit.

SECUNDO, constat ex historiis Græcorum & Latinorum, ut Zonaræ & Cedreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli Diaconi in vita eiusdem, Romanos Pontifices, Gregorium III. Adrianum I. & Leonem III. defecisse à Græcis Imperatoribus, eos excommunicasse, vestigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos eandem imperium transtulisse, ea de causa præcipuè, quod Græci Imperatores hæresi Iconomachorum patrocinarentur, cum è contrario Francorum Reges in fide antiqua constantes essent: Quomodo ergo verisimile est Carolum Imperatorem eadem hæresi laborasse, & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse: Sed verba Zonaræ audiamus.

*Igitur, inquit, Papa Gregorius deserti Imperatoris obedientia ob peruersam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum prius saepe dedisset operam, ut Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, atq; ad cultum sacrarum imaginum reduceret. Et infra in vita Irenes: Adriano veteris Romæ Papa mor-*